

X. Decimo. Cum duae sint hic migrantibus viae, una in coelum, altera in infernum, testante tota sacra Scriptura,³¹⁸ cumque de purgatorio nullam ex Scriptura certitudinem habeamus, nullam pro defunctis orationem necessariam esse iudicamus. Qui enim non sunt damnati, illi sunt in pace et quiete,³¹⁹ sunt in gremio Abrahae,³²⁰ sunt in paradiso,³²¹ sunt cum Christo³²² etc. Nam si iuxta Scripturam fides justificat et purificat, omnia qui hinc fide discedunt, salui sunt, nec dubitandum est de eis, quin cum Christo viuant. Et, si salui sunt (sicut reuera sunt), non magis pro illis, quam pro marty-
 5 ribus orandum est. Ideo quod liber crudelitatis in confortes suos esse censeat, si defuncti commercio orationum nostrarum fuerint exclusi, sic inuertendum
 10 est, quod horrendae temeritatis et impietatis est vel de salute fidelium defunctorum dubitare, vel preces et sacrificia pro mortuis offerre, quod nusquam in Scriptura praeceptum habet, nec promissionem. Cum enim fides niti debeat promissioni, nos autem promissionem non habemus, quod pro mor-
 15 tuis orantes exaudiamur, non possumus pro illis in fide orare.

Quod autem Patres (Cyprianus in Epistola ad Presbyt. et Diac. item Epistola 5. lib.4. de auia Celerini)³²³ obtulisse pro martyribus dicuntur in coena Christi, nihil aliud fuisse conuincitur ex scriptis Patrum, quam quod honorica commemoratione passiones eorum et diem mortis celebrauerint propter has
 20 duas causas, *primum* egerunt gratias Deo, qui sanctos martyres tam praeclaris donis suis ornasset, *deinde* orauerunt eum, ut ecclesiae suae daret fidem tam praeclaram sanctorum martyrum fortiter imitari, cuius veritatis testimonia sunt etiam antiquiores collectae.

Quod vero pro reliquis vulgaribus defunctis Patres in coena sacrificasse dicuntur et eis remissionem peccatorum et coelestem quietem precati fuisse (V. Ambrosium in [154:] oratione funebri de obitu Valentiniani, item de obitu Imperatoris Theodosiii, item ad Faustinum Libro 12 epistola octaua),³²⁴ non ideo factum est, quod dubitarent illos remissionem peccatorum iam consecutos et beatam illam quietem jam obtinere, sed Ecclesiae eos hoc nomine
 25 commendabant, et lugentes ob discessum illorum per hoc ipsum consolabantur, et in eisdem precibus gratias Deo pro illis agebant, unde constat, eos non voluisse defunctis tunc primum remissionem peccatorum et coelestem quietem impetrare, sed testari quod felicem cum Christo vitam agebant. Sed haec omnia sunt postea per Pontifices Romanos deprauata, nec non ex deprauato

³¹⁸ Vgl. Mt 7,13f.

³¹⁹ Vgl. Jes 57,1f.

³²⁰ Vgl. Lk 16,23.

³²¹ Vgl. Lk 23,43.

³²² Vgl. Röm 6,8; Phil 1,23.

³²³ Vgl. Cyprian, ep. XXXIV, in: PL 4 (1891), 329–333 (= ep. 39 in CChr.SL 3B, 186–192).

³²⁴ Vgl. Ambrosius, De obitu Valentiniani, in: PL 16 (1880), 1417–1444 (CSEL 73, 329–367); ders., De obitu Theodosii, in: PL 16 (1880), 1447–1468 (CSEL 73, 371–401).